



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egrae, 1687**

Philippica 14. in falsos amicos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](#)

miserrimi dæmones maestantur tormentis, ex quibus, ut non nihil respirent, otiosos in foro homines quærunt, hi enim gratissimam infernalibus hostibus quietem & hospitium indulgent. otium hominum, quies dæmonum.

§. 7.  
Affectus.

Auditis hæc otiosi in foro, otiosi in templo, otiosi in officina, otiosi totâ die, totis annis, vitâ totâ; & statis adhuc nec in vineam Domini accurritis & laboribus manus admovetis? heu leprofas manus, heu idola insensata, inutiles truncos, non nisi inextinguibili aptos gehennæ!

quin exemplò immortale otio o-  
dium & bellum indicite & in expansa IESU Crucifixi brachia manus  
vestras injicite ac stipulate: Labo-  
rabimus, militabimus, sudabimus  
usque ad agoniam & sanguinem, ut  
tuis digni stipendijs ac denario, de  
labore ad requiem, de bello in pa-  
cem, de vinea in coelestem Jerusalem  
& imensem illam Magni Patris fa-  
milias domum jucundi & be-  
ati aliquando transea-  
mus.

\* \* \*



## PHILIPPICA XIV.

In falsos Amicos  
DOMINICA SEXAGESIMÆ,

*Tempore temptationis recedunt Luc. 8. v. 13.*

§. I.  
Per Dei  
verbum  
reddimur  
Amici Dei.

**V**erbum Dei avidè au-  
ditum fideliterque re-  
tentum, facit homi-  
nem Dei amicum, &  
quidem tam arcta ne-  
cessitudinis, quanta-  
potest esse inter parentem ac filium.  
Elatâ voce nescio quæ mulier bea-  
tum prædicabat ventrem, à quo  
Christus gestatus esset; at vici sim  
beatum pronunciat Christus verbi  
sui auditorem, quasi is Matris ha-  
bendus sit loco, qui verbum DEI  
accipit atque exemplo Intemeratæ  
Virginis in corde suo custodit: *qui  
imò beati, qui audiunt verbum Dei,*  
*& custodiunt illud* Luc. II. v. 28. quasi  
dicat, juxta explanationem D. Ilde-  
phonsi, Laurentij Justiniani, & Ber-  
nardini Senensis, magis mihi cog-  
nata MARIA propter auditum DEI  
verbum, quam propter me suo ge-  
statum in utero; hinc ænigmate ple-

na Isaiæ vox: *antequam parturiret* l. 66. v. 7.  
*peperit.* Antequam concepit De-  
um in utero, jam illum concepit in  
animo, quia verbum ab Archange-  
lo prædicatum acceptavit, credidit,  
implevit. Cùm aliâ vice sub id tem-  
pus, quo Christus prædicabat, ei-  
dem nunciaretur Matrem foris sta-  
re audiendi verbi avidam, memo-  
rabilis dicto Iesus definivit (prout  
Matthæus c. 12. v. 26. consignavit)  
illum Christo pro Matre & fratre &  
froro esse, qui voluntatem æter-  
ni Patris expleverit; voluntas verò  
Patris in quo consistat, declaravit  
ipsemet voce cœlitus emissâ in Tha-  
borea transfiguratione: *hic est Filius*  
*meus dilectus, ipsum audite.* Ecce clara-  
ram DEI voluntatem, ut ejus ver-  
bum audiatur eaque ratione in con-  
sanguinitatem cum Christo trans-  
fatur. Qua de causa emancipatos  
Apostolos Christus declaravit esse  
ami-

Ildeph. c.  
8. de V.M.  
Justin. de  
caſt. Con-  
ſub. c. 9.  
Bernard.  
tom. 1. ſer.  
52.

amicos suos: jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. vos autem dixi Amicos, quia omnia quæcunque audiri à Patre meo, nota feci vobis Joann. 15. v. 15. en causam cur amici dicantur, quia verbum Dei acceperunt. Sed quæ humana est calamitas, amicitiam hanc pauci conservant, quia verbum non retinent, nec opere implet, sed tempore temptationis recedunt, amicitiamque foedifragè dissolvunt, non cum Deo tantum, sed etiam cum hominibus; rari enim admodum sunt, qui in temptationibus perdurent, & inviolatam servent amicitiam. Contra falsos itaque hos amicos, quibus nec Dei nec hominis verbum & amicitia cordi est, præsenti dictione invehar, quāmque dulci hoc nomine indigni sint, docebo.

§. 2.  
Amici-  
tiae enco-  
mia.

Hebræorum proverbium est: aut societas aut mors, vita sive amicitia non est vita, sed mors. Amicus magis necessarius est, quam ignis & aqua, inquit Cicerol. 3. offic. c. ult. Sal vita est amicitia, oculus vitae est sapientia, antidotum vitae est patientia. Est revera amicus ipsa luce jucundior. Solem hunc extingvi jucundius, quam amicorum consuetudine privari. multi solem istum viventes in tenebris sunt, qui vero amicorum copiam adepti sunt, nec in afflictionibus quidem tristitiam babent ita Chrysostomus hom. 2. in 1. Thesal. cui affine est illud Ciceronis: solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt. 1. de amicit. Tria synceræ amicitiae commoda, insinuat Syracides: Amicus fidelis, protegio fortis, qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Ecclesiast. 6. v. 4. primum amicitiae commodum est, quod se invicem protegant consilio & auxilio, vitam, animam, conscientiam à præsenti & æterna morte tueantur felicius, quam

Nistus & Evrialus, Pylades & Orestes, Damon & Pythias, de quibus Virgilius l. 9. & D. Ambrosius l. 2. de Virg. Sic Abraham ostendit se amicum Loth, dum eum ex hostium manibus cum vitæ propriæ periculo liberavit Gen. 14. Chusai erga Davidem cum Achitophelis consilia, apud Absolonem discussit 2. Reg. 17. Jonathas erga Davidem cujus vitæ capitilis sui objectu servavit 1. Reg. 2. tales amici erant. S. Basilus & Gregorius Nazianzenus prout scribit. Theologus orat. 20. in Basiliū: nec nobiscum gentiles, Orestes suos & Pylades ullo modo conferendos putabunt, nec Molionidas illos Homericō versu celebratos, quos calamitatis societas atque ars egregie aurigandi nobilitavit, eodem tempore fræna & verbera inter se patientes.

Alterum commodum est, quod thesaurus sit. Cyri Regis dictum est. optimè apud amicos deponuntur pecuniæ. & Alexander interrogatus ubi ejus essent thesauri? in amicis respondit, ut habet Maximus serm. de amicit. cum sunt amici, esse tibi thesauros puta. potior est amicus in platea, quam thesaurus in cista, inquit proverbialiter Hebræi. Nec thesaurus solùm sed medicamentum vera præstat amicitia: Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis Eccl. 6. v. 16. vita enim nostra perpetua quædam infirmitas est, at juxta Comici effatum: quod medicus est ægro corpori, hoc amicus est mentis ægritudini, nam Verba amica sunt medela commoda, lingua enim placabilis, ut Salomon loquitur prov. 15. v. 4. lignum vitæ, vel ut Hebræi ac Chaldæi legunt: medicina lingua, arbor vitæ. prolongant amici vitam consulendo consolandoque & innumeros humanæ vitæ moeres, angores, timores submovendo. Expertus amicitiae fructum Augustinus L. 4. confess.

fess. c. 6. ità confitetur : bene dixit quidam de amico suo : dimidium animæ meæ. nam ego sensi animam meam & animam illius [ amici demortui ] unam fuisse animam in duobus corporibus ; & ideo horro- ri mihi erat vita, quia nolbam dimidius vivere : ideo fortè morime- tuebam, nè totus ille moreretur, quem multum amaveram. Elegan- ter hæc Augustinus , Augustino e- legantiū Chrysostomus hom. 2. in epist. Theffal, revera vitæ phar- macum est fidus amicus ; revera protec-*ti*o fortis est fidus amicus. quantam utilitatem, quantam se- curitatem generat ! si mille thesau- ros dixeris, nihil tamen germano correpondebunt amico. Cum a- mico paupertas tolerabilis est. Si- nè illo & sanitas & divitiæ intole- rables sunt. Alium pro seipso ha- bet. Haetenus orator aureus, Ora- tori aureo Melleus consonat Am- brosius : solatum hujus vitæ est, ut habeas cui peccus tuum aperias, ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur, in persecutio- nibus adhortetur. Facilis vox & communis: tuis sum totus, sed pau- cioris est effectus ; ita Mediolanensis Præful. l. 3. off. c. 16. non invenio in omnibus Codicis divini paginis ultra quinque amicorum paria, qui in tētationibus fideliter sibi succurrif- sent: Abraham & Loth Gen. 14. Da- vid & Jonathas 1. Reg. 18. Ruben & Joseph Gen. 29. Jehu & Jonadab. 2. Reg. 10. Achab & Josaphat 4. Reg. 22.

**§. 3.** Tam rara hodiéque in mundo  
Rara a- est amicitia, ut optari potius debe-  
micitia in ret quām sperari, quāri facilius pos-  
terris. sit quām reperiri. *Nunc rara fides,*  
ait S. Hieronymus in C. 7. Michæe, cùm aliud in labijs aliud in corde versatur, venenum animæ linguae mella tegunt. Amicus diu quæri- tur, vix invenitur, difficile servatur. Nolite credere in amicis, qui de a-

micijs sectantur lucra, monet pro- inde Hieronymus : si vis verā ami- citiā delectari, esto amicus Dei, si- cut Moyses , qui loquebatur D E O quasi amicus ad amicum, ante Hie- ronymum eandem nāiam scripsit Cicerō in suo Lælio : plerique in re- bus humanis bonum non nōrunt, nisi quod fructuosum sit, & amicos, tanquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus sperant fe ma- ximum fructum esse capturos. At hæc non est amicitia sed nequitia, contra quam exclamat Siracides c. 37. v. 3. *O p r e s u m p t i o n e q u i s s i m a u n d e c r e a t a e s .* sive ut in græco est. ò scele- rata cogitatio, unde devoluta es. ò execranda perfidia! ò cogitatio mor- talium nequissima, unde in orbem irrepisti? O simulata , inquit Hugo apud Cornelium, & palliata hypo- crisis , quæ fingis amicitiam , ubi non est, unde tandem prodisti? quo- modo terram malitiā & dolis tuis operire valuisti ? scilicet nec ex cœ- lo neque terra ortum habes; Deus enim creavit naturam humanam re- & tam, synceram, fidelem, sed ex or- co in terras prorepisti. pater tuus Lucifer est , qui inter Dei imagines ab ipsa mundi origine suscitare fi- etas amicitias cœpit; cùm fecit, ut Cain Abelem fratrem occideret, & quotidie suscitare non desistit ubi- vis locorum & gentium: hoc enim perfidiæ malum (verba Cornelij) o- mines provincias, omnes gentes, o- mines urbes, omnia fora, tribunalia, omnes cœtus, omnia collegia, quin & Sanctorum congregations ac monasteria non raro invadit, oc- cupat & evertit. Hujus porro per- fidiæ origo & author dæmon est ex- trinsecus, intrinsecus amor propri- us, quo incitante non amamus a- micum amico, sed amicum nobis, nec tam personam, quām res ami- ci concupiscimus, verè ollares & vi- trei amici nuncupandi, imò scele- K ra-

## PHILIPPICA XIV.

rati & pessimi ; nam *malus ubi se simulat bonum*, ait Beda in proverb.  
1. *ibi est pessimus, scorpiones dici pos-*  
*sunt E&c.*

§. 4.  
Amicus  
ex fructi-  
bus agno-  
scendus.

Prudentissimè incarnata monuit Sapientia : *attēdite à falsis Matth*  
7. *ca&vete ab hominibus Matth. 10. si-*  
*gnūm autem distinctionis peti ju-*  
*bet à fructibus : ex fructibus eorum*  
*cognoscetis eos. in quæ verba D. Pe-*  
*trus Chrysologus ferm. 97. flores*  
*multi multitudinem fructuum pol-*  
*licentur ; sed examinati ventorum*  
*flabris ad fructum paucissimi per-*  
*severant. ità amici hujus sœculi in*  
*serenitate flores sunt, in tempestate*  
*nihil. Cortici malogranati compa-*  
*rat sponsus amicam suam Cant. 4.v.*  
3. *sicut fragmen mali punici ità genetue*, per genas homo agnoscitur,  
per constantiam in adversis syncre-  
rus amicus probatur. Si verus a-  
amicus est, oculorum geret munus,  
prout D. Cyprianus l. de sing. Cle-  
ric. disputat, non potest aliquo fle-  
cti unus oculus, quin flectatur & al-  
ter, si recte vel obliquè hic aspicit,  
ille eodem modo aut ex oblique aut  
rectè aspiciet. Non aliter veri amici  
eodem semper modo, eadem viâ,  
ad eundem unanimes scopum fe-  
runtur.

§. 5.  
In ne-  
cessitate  
exploran-  
dus.

Quærunt interpretes, cur Salva-  
tor, cùm in triennali conversatione  
sua, tum potissimum ante suam pas-  
sionem apud Martham & Magda-  
lenam potius hospitari quam alibi  
voluerit ? & respondent in gratiam  
& solatium geminarum sororum, id  
potissimum esse factum, ut consta-  
ret veras illas esse amicas, quæ ne-  
cessitatis tempore favent & fovent.  
Fugiens David Soceri sui Saulis fu-  
rias ex urbe Gabaa, ubi à Jonatha-  
instructionem super protoregis indurata malitia acceperat, ad Achi-  
melech in Nobe venit panes & gla-  
dium petiturus 1. Reg. 21. à v. 1. cur  
non ad urbem aliquam intermedi-

am divertit, erant enim, ut loqui-  
tur Abulensis q. I. loca aliqua media  
inter urbem Gabaa, de qua recede-  
bat David & inter urbem Nobe, ad  
quam nunc ivit. cur ergo in itinere  
ad nobilem aliquem aut consanguineum  
non divertit ? ostenderat o-  
lim Achimelech se perquam familiarem Davidi, postquam hic à vi-  
ctoria adversus Goliathum obtenta  
gratias Domino exercituum egit,  
& hostilem gladium in tabernaculo  
obtulit, ut docent Rabbini. Explor-  
ratus itaque necessitatis tempore  
amici sui genium prudens David,  
Nobe petit & à sacerdote panem,  
gladiūmque postulavit. Abulensis  
verba sunt q. 3. *David voluit magis*  
*declinare ad Achimelech, quam ad ali-*  
*quem alium, quia cognoscebat eum,*  
*& alias erat amicus illius, ideo credi-*  
*dit, quod ille magis posset & vellet e-*  
*jus necessitati pro-videre.* Sic Evan-  
gelicus ille amicus, cùm intempe-  
stivâ nocte hospitem accepisset, non  
à vicino, non à consinguineo, sed  
tantum ab amico, quem credebat  
esse fidissimum, tres petit panes :  
*amice commoda mibi tres panes* Luc.  
11. v. 5, quia nullâ aliâ tempestate fe-  
licitis amici erga se animum explo-  
rare potuit. At redeamus ad Achi-  
melech, vidi is Davidem ducum fre-  
quentiâ, militum turbâ destitutum,  
ideoque admiratione plenus quæ-  
sivit : *quare tu solus & nullus est tecum?*  
eratne solus David ? imò videtur  
pueros plures post terga traxisse :  
cur enim alias ipsem et Sacerdos quæ  
sivisset : *si mundi sunt pueri.* quomo-  
do ergo solus si militibus cinctus ?  
nimirum de amicis sermo erat, hi  
autem pueri non poterant amico-  
rum haberi in censu, convenerant  
enim ad Davidem, qui erant oppres-  
si ære alieno, ut capite sequenti v.  
2. insinuatur : non nisi ollares & vi-  
trei amici, adeoque nulli amici ; fu-  
isset enim in periculis certissimò ab  
ijs-

ijsdem deferendus ; quemadmodum fassus ipse met est ps. 24. v. 16. quia unicus & pauper sum ego. Mel muscæ, cadavera lupi, prædam turba sequitur non hominem, inquit Romanus philosophus.

Digna auro est ista Siracidis sententia c. 6. v. 7. si possides amicum, in tentatione posside eum. nemo fidat amico suo nisi periculū prius fecerit, qui se calamitatis tempore gerat, nam ut ait Ennius : *Amicus certus in re incerta cernitur &c.* V. Beda in alphabeto proverbiorum : *amicum res secunda parant, aduersæ probant. inspicimus vasa prius, quām emamus, cur non & amici vitam, inquit Antisthenes apud Laërtium l. 2. c. 8. felige tum dilige.* Selectionis tempus est adversitas. Aurum probari solet igne & lapide lydio, amicus verò calamitate ; qui adulatur tempore prospero, deserit adverso, temporis est amicus non amici , ut dicebat Menander. Amicum auro est argentum vivum, libenterque illi adhæret, at si una disponatur in ignem mox difflit atque disparet, ita omnes falsi amici. S. Augustinus l. de amicit. c. 3. distichon recitat memorabile :

Non est personæ, sed prospexitatis amicus,

Quem fortuna tenet dulcis, amara fugat.

Varijs similitudinibus falsos expingunt amicos erudití, alij melopeones, alij hirundines, alij vultures appellant, alij alijs in symbolis efférunt, ut doceant cavendos, notus est poëtæ recentis anacreon :

Malogranatum cum Philippo Rege Catholico mallem eidēmque simili voto inscriberem : tot Zopyros !

Melopeones amici  
Nunc temporis videntur;  
Sunt plurimi probandi,  
Ut unus approbetur.

tot fidos voveo amicos , quot hoc pomum , concordiae symbolum , grana vovet. At plura passim mala punica , quām Zopyros invenias, & plures in amicis simulatis punicas fraudes , quām punica in orbe mala, fides ita occupavit & aulas & curias, & quas non communitates, ut in malum punicum orbis totus abiisse videatur, & hinc tot passim mala! Qui hirundinibus falsos amicos comparant, illud Authoris ad Herennium l. 4. repetunt : ut hirundines æstivo tempore praesto sunt, simul atque fortunæ hyemem viderint, devolant omnes. Arborem vidit Babylonius Rex avibus plenam at cùm fatalis vox infonuisse : *succidite !* avolârunt ocyus omnes vivâaque falsorum amicorum expressere imaginem. Non hirundi-

Dan. 4.

Senec.lib.  
nibus sed vulturibus falsos amicos de amicit.

comparat Romanus philosophus : vultures revera sunt, cadaver expectant, quanquam nec semper cadaver expectent. Volsæum Angulum describit Florimundus Remundus ita ab amicis in fatali morbo destitutum, ut & lectulum moribundo subtraxerint. pejores vulturibus sunt, nec cadaver expectant. Ad sepulchrum efferebatur Franciscus Cotinius Comes de Redondo Indiæ Prorex ingenti sexūs utriusque comitatu ac pompâ. Antequam autem in sepulchrum demitteretur cadaver, successor defuncti renuntiatur Joannes Mendoza , funeris comes, & ecce protinus omnes deserto Cotinio ad Mendosam convertuntur, gratulâtur, arrident, applaudunt, inque urbem cum jubilo deducunt, vix unico mancipio relitto , à quo cadaver humaretur. ò vultures, imò vulturibus pejores amici, apud quos luctus tamdiu locum non habet, dum cadaver in loculum deponatur. In malam crux cum ejusmodi vulturibus, in

K 2

æter-

Variae  
falsorum  
amicorum  
similitu-  
dines.

æter-

## PHILIPPICA XIV.

æternam hyemen cum hiscè hirundinibus, in similem Jobi cum pessimis melopeponibus.

Jobi dum memini, alia similitudo ex ejusdem miraculis occurrit, ita enim habet c. 6. v. 15. *fratres mei præterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in convallibus.* liquida fuit illa non solida amicitia, quam tam citò diffuxit. turgent torrentes in hyeme, in æstate verdù cùm viator prodeße potissimum deberent, exarescant; ita & amici cùm auxilio & consilio eorum unicè opus fore, raptim transeunt & evanescunt, qui de simili torrente in via bibet, exalabit cum gemitu & suspirio caput.

Alphonsus Rex fragilitatem humanæ amicitiae adscribat vitro, calamo, pileo. vitrea multorum amicitia est, quia apud vitra coalescit, & ideo citò frangitur. Theognidem græcum philosophum D. Gregorius Theologus recitat ita canentem :

*Ad calices multi se contestantur amicos,  
Sublato vino nullus amicus erit.*

aliorum amicitia in officiosis litterulis & levi calamo consistit, sed vel ideo facilè à vento rapitur & in auras avolat, quia papyro & peninis constat: alij denique fucatissimis verborum formulis, complementavocant, in fictisimis obsequiorum

D. Grego-  
rius epist.  
160.

delationibus, profundissimis totius corporis inclinationibus, pilei ad usque pavimentum demissione amicitias suas statuunt, verùm & hæc amicitia mobilior pileo, verbalis & scænica est, nec amicitiae nomine digna. fallitur quisquis infra lunam & in homine amicum stabilè invenire se posse existimat, qui nunquam in eodem statu permanet. quod ante mille annos cantabatur, post mille annos veritate semper integrâ de falsissimis hujus vitæ amicis repeti poterit.

*Annis mille jam per adūs.  
Fides nulla est in factis.  
Mel in ore, verba latit,  
Fel in corde, fraus in factis.*

S. August.  
in ps. 121.  
& manual.  
c. 24.

Si sapimus, recedamus ab hiscè amicis, priusquam illi recedant; deseramus nè deseramur; nè præveniamur præveniamus. finiat Augustinus sapientissime sic monens: quid prodest hominis amicitia? forte ibi non solum nullum auxilium sed & periculum. ô anima mea dilige eum à quo tantum dilecta es. elige illum amicum tuum præ omnibus amicis tuis, qui cùm omnia subtrahta fuerint, solus tibi fidem servabit. Nihil delectabilius Deo, non est Deus qui te offendat, nihil eo pulchrius, nihil dulcius. Amicus Dei, si voluero, ecce jam fio.

\* \* \*



PHI-